Tentamen therapeuticum inaugurale, de medicamentis vomitoriis / [Samuel Burton Pearson].

Contributors

Pearson, Samuel Burton
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Adamus Neill, 1790.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/mrnwseun

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

T. 936. 4

TENTAMEN THERAPEUTICUM INAUGURALE,

DE

Medicamentis Vomitoriis.

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL BURTON PEARSON,

ANGLUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON.

Magna movent stomacho fastidia.——

HOR. Sat. Lib. II. Sat. iv. lin. 78.

Ad diem 13. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XC.

322291

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

ALEXANDRO MONRONI, M. D.
Collegii Regii Medicorum EDINBURGENI
Socio,
Rei Medicae, Anatomicae, et Chirurgicae
in Academia EDINBURGENA
Professori;
Viro eruditissimo,
virtutibus ornato moribusque;
cujus nomen jam,
ob insignem Artis Medicinalis peritiam
et amplificatam Rei Anatomicae Scientiam,
totum per orbem vulgatum,
" ——— Nec JOVIS ira, nec ignis,
" Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas;"
caducum hoc opusculum,
ob quamplurima in me collata beneficia,
quae, sive ponar
" ——— Pigris ubi nulla campis
" Arbor aestivâ recreatur aurâ,"
Sive
" ——— Sub curru nimiùm propinqui
" Solis, in terrâ domibus negatâ,"
nunquam,
" Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus,"
memoriâ meâ excident;
animo quàm gratissimo
do, dico consecroque

SAMUEL BURTON PEARSON.

Amico ſuo dilectiſſimo,

ROBERTO HUTCHINSONI,

caro omnibus familiaribus acceptoque,

juxta CARLEOLUM,

primariam Praefecturae CUMBRIAE urbem,

vitam

hilariter degenti;

indicium hoc amicitiae intimo cordi infixae;

quam

neque interfuſus oceanus et interjacens tellus

repentè praecident,

neque labentes anni

ſenſim diſſuent;

benevolus offert amicus

SAMUEL BURTON PEARSON.

TENTAMEN THERAPEUTICUM

INAUGURALE,

DE

Medicamentis Vomitoriis.

MEDICI et antiquitùs et hodie, ut, quo in corpus modo medicamenta agant, et quoſnam edant effectus, clarè oſtenderent, multum temporis curaeque triviſſe videntur. Ex opinionibus verò utriuſque medicorum generis, plurimae, vanae, me judice, ſunt et inanes; eoque magis, quòd Sapientiſſimus re-

rum Opifex, quò varios oblectarent varia, et ſua quemque traheret voluptas, ita homines, ex conſulto, finxit et fabricatus eſt, ut propria cuique ſenſilitas eſſet et irritabilitas.

Si, quod plurimis viſum eſt, corpus humanum eodem, ac hydraulicum organum, modo affici exiſtimare liceret; tum, quo modo id afficeret quodvis remedium, ſatis expedire, minimè arduum comperiremur. Cùm verò Natura inenarrabile animantibus quoddam ingenuerit, quo omnis pendeat vita, ſed quod, quale ſit, nondum cognitum habeamus, nec forſan habere poſſimus; profectò, hac re cognita, non eſt magnopere mirandum, ſi, quo modo medicamenta in corpus humanum agant, prorſus ignoremus.

Breve et caducum hujuſmodi opuſculum aggredientem plura praefari, et alienum certè videretur et ineptum. Non itaque, in limine, longiùs moraturus, hoc tantùm jam praedictis amplius adjiciam, me de re, quam tam multi tamque praeclari agitaverunt auctores,

nil,

nil, quod proprio ex penu expromere poſſim, novi habere.

DEFINITIO.

" Remedia vomitoria vel emetica dicuntur " illa, quae vomitum movent." GREG. *Conſpect. Med. Theor.*

Haec Diſſertatio duas in ſe partes complectitur; in quarum *una*, de *medicamentis vomitoriis* diſputatur; in *altera*, de eorum in corpus humanum *effectibus*, et *uſibus*.

PARS PRIMA.

De Medicamentis Vomitoriis.

Horum genera duo ſunt; *unum* eorum, quae, e rebus, quas gignit terra, praeparantur; *alterum* eorum, quae ex foſſilibus.

CAPUT

Caput Primum.

De vomitoriis medicamentis, quae e rebus, quas parit terra, praeparantur.

I.

Singulas corporis partes, quibus vomitio perficitur, deſcribere, in hujuſmodi opuſculo non opus eſt ; cùm praeſertim nemo, qui animum ad medicinae ſtudium ſatis intenderit, tam ſit ignarus, quin eas jam ſatis intellectas habeat. His itaque praetermiſſis, de ſingulis medicamentis, quibus moveatur vomitus, ordine perpauca dicere aggrediemur.

Si nobiſcum reputamus, ventriculi muſculorum fibras mira ſenſilitate ſimulque irritabilitate eſſe naturâ praeditas ; minimè mirandum videbitur, plurimas eſſe res, quae, ſimul atque in ſtomachum ingeſtae ſint, vomitionem cieant.

II.

II.

Rerum quidem mitiſſimarum quaedam ſunt, quae vi vomitum movendi planè pollent. Hujuſmodi ſunt *aqua tepida et oleum mite;* quibus utriſque nil guſtui minùs eſſe alienum poteſt. Haec vomitum, ſtomachi muſculorum fibras forſan reſolvendo, eliciunt.

III.

Infuſum quoquè *chamaemeli* et *cardui benedicti*, epotum, ſemper moleſtam nauſeam movet; et, ſi, poſtquam validum adhibitum fuerit remedium vomitorium, aſſumatur, ſtomachum quidem vomitu admodùm ſolicitat.

IV.

Aſarum, quoniam praeparata *ex antimonio* plurimùm uſu jampridem invaluerunt, rarò, etiamſi ad ciendum vomitum multùm ſanè polleat, nunc adhibetur. Datum verò ad ſcrupuli quantitatem, eoſdem ferè effectus, ac

ipecacuana,

ipecacuana, praeſtare videtur. Potiſſimùm nunc adhibetur, ut ſternutationem invitet; ad quod profectò efficiendum, plùs, quàm aliud ullum medicamentum, quod in ſe complectitur Materia Medica, certiſſimè pollet.

V.

Ipecacuana, ob vim, qua gaudet, vomitum faciendi, magnum ſibi nomen jure aſſecuta eſt. De ea verò, etiamſi et ſatis ſit efficax, et in corpus, ſine periculo, aſſumi poſſit, medici antiquitùs nil prorſus cognitum habuerunt. Vires ejus, SYDENHAMO quidem florente, intentatae latuerunt et incognitae. Eſt in EUROPAM, ſeculo proximo, importata; et, ſub idem tempus, PISO, in opuſculo, quod edidit, et ſpeciem ejus et vires expoſuit. Verùm mos tamen eam adhibendi non vulgò invaluit, ante annum propè milleſimum ſexcenteſimum octogeſimum ſextum; quo HELVETIUS, favente LUDOVICO, qui, decimus et quartus ſui nomi-

nis,

nis, in GALLIA, tum regnum tenebat, uſum ejus vulgavit.

Ipecacuana ex duabus partibus conſtat, *corticali*, ſcilicet, et *medulloſa*; atque virtus ejus vomitoria, magis ex illa, quàm ex hac parte, pendere exiſtimatur. Pars corticalis, ex toto, reſinoſa eſt; et, eam ob rem, vis ipecacuanae vomitoria, *ſpirituoſis* liquoribus miniſtris, elicitur. Caeterùm, quia pars medulloſa, ſive gumminoſa, reſinoſae intimè commiſcetur, Collegium Medicorum EDINENSE vino tenui, ad virtutes educendas, utitur.

Quoties, ad vomitum eliciendum, ipecacuana adhibetur, *pulvis* ejus *ſucco* utcunque educto anteponitur; propterea quòd is prima ferè vomitione rejicitur; dum hic diutiùs in ſtomacho manet, et longiorem gravioremque vomitum ciet. Pulvis, praeterea, adeo eſt efficax, ut, quod magnopere verò mirandum eſt, grana duo, ad vomitum movendum, interdum ſufficiant. Quoties requiritur, ut vomitus iteretur,

retur, et magis continuus ſit, pauxillum tartari emetici ipecacuanae pulveri adjiciatur.

Ipecacuana multùm dyſentericis prodeſt; atque CULLENUS veram cauſam, cur utiles et ſalutiferos effectus iis praeſtet, attuliſſe videtur. Rectè enim obſervat is auctor, hoc medicamentum, ſi parvis doſibus adhibeatur, ita ut vomitum non cieat, in inteſtina deſcendere tenuiora, et alvum ferè plùs minùſve ducere. Idcirco inteſtina quodam modo vacuat induratis faecibus; quae dyſenteriam ſemper comitantur, et hanc, inteſtina irritando, quidem intendunt et ſuſtentant. Huc accedat, quod hoc remedium, cum doſibus adeo parvis, ut ſtomachum vomitu non ſolicitent, aſſumatur, ferè, ut caetera emetica parcè adhibita, halitum per cutis meatus uberiorem reddit; quod, maximo eſſe uſui dyſenteria laborantibus, omnes expertiſſimi medici uno ferè ore conſentiunt.

Permulti medicinam facientes, periculo comperti ſunt, ipecacuanam plurimùm, in *inter-*

mittentibus

mittentibus quoque febribus, proficere, ſi paulò ante acceſſum, vel paulò poſt deceſſionem horroris, adhibeatur.

VI.

Nicotianam, ſi exiguiſſima quidem pars ab iis, qui ea uti ſeſe non aſſuefecerunt, in os aſſumatur, moleſtiſſimam movere nauſeam, nemo ignorat. Si in ſtomachum deſcendat, totum corpus longa quoque et graviſſima vomitione concutit. Ob hos itaque effectus, et adhuc magis ob vim, qua admodùm pollet, corpus torpidum faciendi, ad eam, quò vomitum eliciant, medici quàm rariſſimè decurrunt.

VII.

Scillae ſunt unicum aliud vomitorium medicamentum, e rebus, quae oriuntur e terra, paratum, quod, in hoc opuſculo, memorabo. Quantum harum, ad vomitionem movendam, ſufficiat, aeſtimare, interdum imprimis difficile eſt. Verùm enim verò ex tempore, quo in-

valuit uſus ipecacuanae, ſcillae, magna ex parte, inveteraverunt. Nihilo verò minùs, ſi doſibus modicè largis dentur, permultùm, ad movendum non ſolùm vomitionem ſed quoque alvum, pollent. Potiſſimùm celebrantur hodiè ob vires, quas poſſident, muci ex pectore exſcreationem augendi, et urinam movendi. Ob proximam hanc dotem, interdum, ſi hydrargyro conſocientur, *aquâ inter cutem* laborantibus plurimùm proficiunt.

His dictis de remediis vomitoriis, quae, e rebus quas parit terra, parantur; nunc ſpeciatim, de ſingulis, quae ex foſſilibus arte *chemica* eliciuntur, perpauca dicere, mihi in animo eſt.

Caput Secundum.

De vomitoriis medicamentis ex foſſilibus praeparatis.

I.

Ex cupro permulta remedia parantur. Haec omnia, hoc inter ſe commune habent; quòd in ſtomachum

ſtomachum aſſumpta, plùs vomitionis minùſve invitant. Ex his verò pauca, vomitum faciendi cauſa, hodie adhibentur.

Cuprum vitriolatum ſeu *vitriolum caeruleum*, quia et guſtui eſt alieniſſimum, et ſaepe, invito medico, acerrimos effectus praeſtat, ex numero vomitoriorum hodierno uſu ferè ejicitur. Nunquam, ut vomitionem concitet, adhibetur, niſi, poſtquam res veneficae, vel ſaltem admodum nocivae, in ventriculum aſſumptae ſint; cùm, prae caeteris vomitoriis, idcirco ſeligatur, quòd, ſubitos effectus praeſtando, ſtomachum nocentibus materiis citiùs vacuet, et, eam ob rem, praeſentiorem laboranti ſalutem afferat. Verùm, etiamſi hoc remedium rariſſimè, niſi praeſente diſcrimine, ob injeſta quaedam nociva, urgente, ut vomitum ſolicitet, adhibeatur, tamen doſibus exiguis, quae nauſeam tantùm moveant, ſubinde iis, qui *intermittentibus* laborent febribus, utiliſſimè detur. Id interdum quoque *aquâ inter cutem* tumentibus, vel jam

admodùm

admodùm tumefactis, ut urinam proritet, medici cum fructu adhibent.

II.

E variis ex *hydrargyro* ſeu *argento vivo* praeparatis, *hydrargyrum vitriolatum* unicum eſt, quod, ad vomitiones concitandas, praecipitur. Et hoc quidem, propterea quòd aliquantò vehementiùs agit, et inſigni pollet acrimonia, haud multùm in hodierno uſu eſt.

Plerique forſan *ſalium*, qui ex hydrargyro praeparantur, vi ciendi vomitum praediti ſunt; at ob acrimoniam tamen, quae iis, *hydrargyro* velut *muriato*, ineſt, eo conſilio tutè adhiberi non poſſunt.

Ceterùm, omnia ex hydrargyro praeparata percurrere, mihi non eſt conſilium; id enim, in perbrevi hujus generis opuſculo, neque expectandum eſt neque tentandum. Quotquot plura hac de re diſcere velint, ii *Pharmacopoeiam* Collegii Regalis Medicorum EDINBURGENI

NI adeant; ubi ſingula ex hydrargyro praeparata, lucido ordine digeſta, perlegant.

III.

Ex praeparatis e *zinco* nullum, niſi *zincum vitriolatum* ſeu *vitriolum album,* vomitum ut faciat, adhibetur. Neque hoc quidem datur, niſi cùm ingens mortis diſcrimen, a rebus quibuſdam veneficis, in ſtomachum aſſumptis, immineat. Hujuſmodi verò diſcrimine urgente, commodiſſimè datur, quippe cùm, ſtomachum ferè ſubitis vomitionibus ſolicitando, quàm citiſſimè eum veneficis ingeſtis liberet. Verùm interdum tamen ſolitò diutiùs in ventriculo retinetur; quod, cùm incidat, longam moleſtamque nauſeam efficit fovetque. Doſis quoque *ipecacuanae* aliquantò largior, ſi perbrevì, poſt hanc aſſumptam, profundus aquae tepidae hauſtus, vel, quantum cochleare parvum contineat ſinapis, tantum aſſumatur, ſatis, ad rejectionem rerum veneficarum ex ſtomacho, plerumque pollebit.

IV.

IV.

De variis ex *antimonio* praeparatis ſingulatìm differere et fusè, non opus eſt; cùm praeſertim eaedem ferè vires omnium communes ſint.

Kermes mineralis multùm nuper, in GALLIA, laudatum fuit. Id GLAUBERUS primus praeparavit; neque modum praeparandi, priùs patefecit, quàm GALLORUM rex, laudando ſubditorum amore ictus, eum, ut hunc ſcriptum vulgaret, pretio ſatis aequo adduxerat. Effectus verò hujus medicamenti, laudibus ei datis minimè conſonant.

Aliud ex antimonio praeparatum, quod haud parva vomitum invitandi vi pollet, eſt *antimonium calcinatum*, ſeu *calx antimonii praeparata*. Hoc medicamentum eaſdem ferè dotes, ac *notatus pulvis Jacobi*, poſſidere videtur. Verùm hìc tamen obſervandum eſt, hoc praeparatum, etiamſi ſatis mite a quibuſdam auctoribus exiſtimatum fuerit, acerrimos interdum in ven-

triculo

triculo effectus praestare; quod, ex quantitate et natura acidi, quod hìc existat, pendere videtur.

Ex omnibus verò ex hoc metallo praeparatis, *vinum antimoniale*, me saltem judice, et pulcherrimum est et utilissimum. Hoc enim, idonea dosis ratione habita, optandos omnes effectus, quos, ex aliis ei cognatis praeparatis, sperare possumus, praestare potest. Si guttis, numero ubivis inter decem et quinquaginta, adhibeatur, vires mutatrices exercet, et halitum cuticularem elicit. Sin majore detur quantitate, ferè et urinam et alvum movet. Idem medicamentum, ad duas drachmas tresve si dosis augeatur, acerrimas vomitiones concitat.

Antimonium tartarisatum, seu *tartarum emeticum*, agmen vomitoriorum medicaminum novissimum, hac in disputatione, coget. Ex omnibus medicamentis, quae vi pollent vomitum ciendi, nullum hoc consilio saepiùs, quàm modò dictum, efficaciùsve adhibetur.

Hìc,

Hìc loci notandum eſt, *duos* eſſe *ſtatus* antimonii proprios, in alterutroque, ſed cum effectibus non iiſdem, in ſtomachum ingeri poteſt. Aſſumatur enim, vel *regulina* ejus parte adhuc immutata, vel poſtquam haec pars acido quodam ſe prorſus ſaturaverit.

Si, parte *regulina* adhuc integra, in ſtomachum introferatur, quantos et quales effectus praeſtet, ii ex quantitate qualitateque acidi, quo ibi commiſceatur, prorſus pendebunt. Utrùm itaque feliciter, et ex ſententia medici, optatos effectus edat, necne optatos; quin profectò id ſit omnino incertum, eſſe non poteſt.

Sin hoc medicamentum adhibeatur poſtquam *regulina* ejus pars acido ſe ſaturaverit; tum, et quid et quantum efficere poſſit, ferè certò praeſcire, minùs arduum reperietur.

Ad ulterius hoc genus, *tartarum emeticum* propriè pertinet. Si, hujus medicamenti ope, plenam vomitionem concitare volumus, granum vel duo dare debemus. Sin, nauſeam tantùm, et reſpirationem per cutem, ſolicita-

re

re nobis conſilium eſt, quantitate multò minore tum adhibendum eſt.

Praecipuis ſaltem remediis, quibus vomitio concitari poteſt, jam breviter memoratis, nunc quoſnam in univerſum corpus vomitio edat effectus, et quibuſnam in morbis proficiat, quàm pauciſſimis exponere, noſtrum eſt.

PARS SECUNDA.

De effectibus remediorum, quae vomitum cient, uſibuſque.

I.

Vomitionem, etiamſi nil morbidi in ſtomacho exiſtat, plurimùm tamen, ad incolumitatem, ſeu ſalutis tutam atque integram conſervationem, certè conferre, medicorum nonnulli opinati ſunt. Ut ita opinarentur, adducti ſunt; quòd, ut illis videbatur, medicamenta vomitoria, ſtomachum vomitu ſolicitando, vim

ejus incitarent, atque univerſum corpus ſalutariter concuterent. Verùm crebras vomitiones vires ſtomachi magnoperè convellere, atque, hanc ob rem, cibum potumque concoquendo eum imparem reddere, ignorat nunc ferè nemo. Hinc ſatis apparet, quàm ineptum ſit concitare vomitum, niſi cùm perturbentur functiones, ad quas in ſanitatem reducendas, utilem vomitionem periculo medici compererint.

II.

Stomachum nocivis vel morbidis materiis in ſe contentis vitiari, ſequentia ſigna certò indicabunt, cibi appetitûs defectus; cibi faſtidium; cardialgia; inflatio; ructus acidi; quibus accedant frequentes capitis dolores. Verùm, etiamſi, his ſignis urgentibus, curatio a plena vomitione incipere debeat; non tamen expectandum eſt, morbum, cujus ſigna, modò dicta, non ſeminaria ſunt, ſed fructus, ſolis remediis vomitoriis radicitùs tolli poſſe.

Vera

Vera cauſa, unde oriantur haec ſigna, in minuto muſculoſarum ſtomachi fibrarum vigore, omnino poni videtur. Si hoc pro conceſſo habeatur, quod reverà, quantùm novimus, a pleriſque conceditur; quin frequentes vomitiones aegro multùm noceant, dubitari non poteſt. Hae enim, reliquas ſtomachi vires magis infringendo magiſque, aegrum ad frequentiores moleſtioreſque cruditates procliviorem, quàm ſi nullae fuiſſent adhibitae, certiſſimè reddunt.

Inter vomendum plerumque rejicitur viſcidi copia muci, quem non ſolùm hominum vulgus, ſed quidem medici, ſtomachi cruditatis eſſe, aliqua ſaltem ex parte, cauſam exiſtimaverunt. Caeterùm profectò quidem, experimentis, quae SENACUS ex conſulto, ut naturam hujus muci exploraret, inſtituit, attentè conſideratis, veram eſſe hanc opinionem concedere non poſſumus.

Quin enim in ſtomachis eorum, qui integritate corporis quidem perfectiſſima fruuntur,

tur, plus minusve muci modò dicti semper insit, diutiùs dubitari non potest. Folliculi, quibus hic mucus continetur, validissimis, inter vomendum, nisibus compressi et solicitati, copiam ejusdem solitò majorem secernunt effunduntque; quae, unà cum usitatis stomachi contentis, ejecta, causa extitit, cur, stomachi cruditatis signa, quae supra diximus, ex nimio, in hoc viscere, muco enasci, medicorum nonnulli opinarentur.

Quibus verò, haec signa talem causam agnoscere, visum est; ii in causarum opinione, me saltem opinante, certissimè lapsi sunt. Vera enim eorum si esset opinio, haec signa non, ut reverà accidit, vomitione ingravescerent, sed leviora redderentur.

III.

Inter vomendum, stomachus minimè unica intestinorum canalis est pars, quae vacuatur. Tale enim uni hujus canalis parti cum caeteris consortium intercedit, ut, cùm afficiatur

una

una pars, partes ejuſdem huic contiguae ſimul quodammodo afficiantur. Neque verò majus, alibi, hoc conſortium videtur, quàm ſtomachum inter et duodenum jejunumque; namque is vomitu ſolicitari non poteſt, quin, eodem tempore, haec vacuentur. Verum hoc eſſe, copia bilis materiis, quae e ſtomacho vomitione rejiciuntur, admiſta, ſatis oſtendit.

Cauſa admiſtionis hujus, in validiſſimis vomendi niſibus omnino ponenda eſt. Inter enim vomendum, muſculi ſepti tranſverſi atque abdominis adeo enixè ſimulque contrahuntur; ut eorum ſociati quaſi niſus, abdominis viſcera, atque idcirco veſiculam fellis et ductus biliferos, quàm validiſſimè comprimant. Ob hanc compreſſionem, bilis e veſicula, per ductus, effunditur in duodenum; et hujus actione in ventriculum elata, hinc vomitione rejicitur. Exinde idonea, me ſaltem judice, et facilis patet ratio bilis, quam materiis, vomendo ejectis, admiſtam conſpicimus.

Bilem

Bilem hoc modo rejectam, in ſtomacho, ante vomitionem, exiſtere, quidam putarunt. Verùm ſi res ita eſſet, quaenam afferri poſſet cauſa, cur, quod rarò evenit, non primis aequè, ac ultimis vomendi niſibus, rejiceretur.

IV.

Bene nunc notum eſt, Naturam, quae humanum corpus incredibili ſolertia finxit, ita optimo conſilio jecur fabricatam fuiſſe, ut ſanguinis, per ejus portam, motus nonnihil retardaretur. Propter hanc verò retardationem, interdum accidit, ut ſanguis in jecore ſtagnet; vitia hujus viſceris, et morbos totius corporis efficiens. Quin igitur vomitio, quae, abdominis viſcera vehementer comprimendo, motum ſanguinis per eorum vaſa magnopere incitat, permultùm iis in morbis proficiat, qui ex *obſtructo jecore* naſcantur, in dubio eſſe non poteſt.

V.

Cùm verò animum ad quoſdam morbos, quibus *viſcera thoracis* opportuna ſunt, advertimus, fructus adhuc majores uberioreſque ex medicamentis vomitoriis percipiendos perſpicimus. Coagitatio enim aëris in *bronchiis*, et ſanguinis in ſanguiferis pulmonum vaſis, muſculis ſepti tranſverſi iiſque reſpirationi inſervientibus, ſeſe ſimul contrahentibus et relaxantibus, efficitur. Alterni hi motus, vomendi niſibus multò incitatiùs peraguntur. Incitatiore hoc motu bronchia copioſiorem mucum ſecernunt et expectorant. Exinde fit, ut medicamenta vomitoria, *catarrho* et *pulmonum phthiſi* laborantibus tantùm proficiant.

VI.

Remedia vomitoria, in *aſthmate ſpaſmodico*, laudando multus eſt AIKENSIDIUS: CULLENUS verò cenſet, ſe, ejus uſum ſequendo, haud multùm laborantibus profuiſſe: in multis enim exemplis, in quibus medicamenta vomitoria,

per

per longum tempus, adhibuit, nec acceſſum arcuit, nec leviorem hunc, jam urgentem, reddidit. Verùm in quibuſdam tamen aſthmatis ſpeciebus, velut in *aſthmate pituitoſo* et *catarrhali*, haec medicamenta interdum profuiſſe comperit.

VII.

Vomitio, et ſanguinis et fluidorum caeterorum, in omni parte corporis, impetum intendit; et, hanc ob rem, interdum multùm profit. Incitatus verò fluidorum motus perrarò diu perſtat. Brevì plerumque eorum motus plùs ſolitò langueſcit; et medicamentum, vi motum ſanguinis, per totum corpus, incitandi praeditum, unde magnam utilitatem ſperavimus, debilitate, quae ejus uſum ſemper ſubſequitur, permultùm nocet.

VIII.

Si aliquando continuam perdiu nauſeam movendam velimus, nil, ad hoc efficiendum, plùs valet, aptiuſve eſt, quàm navigatio. Ma-

rina

rina enim naufea, contra ac in ea accidit, quam faciant medicamenta, aliquis diu, gravi nullo accepto detrimento, laborare poteft.

IX.

Quaedam effe remedia, ea velut de quibus hîc difputatur, quibus ventriculus, prae caeteris corporis partibus, affici, ob ingenitam quandam proclivitatem, pronus eft, certè denegari vix poteft. Adhibitis enim ejus generis medicäminibus, ftomachus fefe citò contrahit; dum inteftina inferiora, atque aliae corporis partes, oculi velut, cutis linguaque, quibus aequalis ferè ineft mobilitas, vel non omnino, vel faltem parùm afficiuntur. Quin et pauxillulum vomitorii medicaminis in venas immiffum, ftomachum, fimul ac eò, fanguini circumfluenti admiftum, delatum fuerit, magis, quàm caeteras fyftematis partes, afficit, eumque vomitu folicitat.

Si verò ftomachus adeo rebus vomitum cientibus affici naturaliter aptus eft, cur, interro-

get aliquis, fit, ut medicamenta, in quibus infignis vomitum ciendi infit potentia, interdum, vomitu infecto, per id vifcus defcendant, et fuas omnes in inteftina vires exerceant? Cuiquam hoc interroganti referri poteft, tantam ftomachi et inteftinorum inter fe, quod ad ftructuram, fimilitudinem effe, et tantum idcirco confortium; ut, fi, quamcunque ob caufam, is ita fefe habeat, ut talibus medicamentis affici non poffit, medicamenta haud vomitione rejecta, viribus integris, haec incitent, alvumque ducant.

X.

Quoniam eorum, qui *dyfpepfia* et *hypochondriafi* laborent, fanguis languide circumfluit, et motus ejus per vifcera, ea praefertim abdominis, impeditur, vel magnopere faltem tardatur; vomitiones, quae, corpus concutiendo, motum omnium fluidorum incitant, plurimùm, his in morbis, proficiant.

XI.

XI.

Medicamenta vomitum facientia multam iis quoque afferre utilitatem poſſe, qui in *aquam intercutem* inciderint, veriſimillimum videtur. Satis enim conſtat, vomitionem, nullo eam concitante medicamine, multis, aquoſo hoc languore laborantibus, efficiendo ut ex parte affectâ reſorbeatur aqua, plurimùm interdum profuiſſe. Quin itaque vomitio, quam medicamina elicuerint, aequè profit, nil eſt, cur quiſquam in dubio verſaretur; cùm praeſertim medici, eam in quibuſdam, aqua intercute laborantibus, ſaepe feliciter concitaverint. Quoties remedia vomitoria hydropicis adhibentur, ea, quae ex antimonio praeparantur, caeteris anteponenda ſunt, et ſaepe, interjectis brevibus intervallis, iteranda.

XII.

Languor torporque totius corporis, quae *menſtrua ſuppreſſa*, *nervorum reſolutionem*, et *in-*

ſaniam

ſaniam adeo conſtanter comitantur, vomitionem, quae ordinatum fluidorum, per totum corpus, motum incitat, *genuſque nervoſum* ſtimulat, utiliſſimam, his in morbis, eſſe ſatis oſtendunt.

XIII.

Quantùm vomitio *reſolutione nervorum* laborantibus proſit, ſequens exemplum, quàm argumenta, meliùs monſtrabit.

Gulielmus Brown, caupo, quinquaginta annos natus, qui perpotationi ſe, complures per annos continuos, dederat, lectum nocte vehementer ebriatus inivit. Poſtridie mane experrectus eſt, nervorum, inferioribus in membris, reſolutione laborans. Motus quoque ſuperiorum, ſed praeſertim laevi lateris, magnopere, cis verò ſenſûs defectum, minuebatur.

Chirurgus arceſſitus, varia medicamenta, ſed ſine optato effectu, adhibuit. *Sinape* et in ſtomachum aſſumptum eſt, et externo corpori, *ſinapiſmorum* forma, admotum. *Veſicatoria* quoque, nervorum, qui ramulos, in partes affectas,

affectas, tendebant, truncis impoſita ſunt. Sed haec omnia adeo parùm profecerunt, ut chirurgus aegrum deploraturus eſſet. Conſpicatus verò exhalationem per cutem, in partibus affectis omnino ſuppreſſam, putavit, ſi hanc iterum elicere poſſet, forſan aegrum inſtanti periculo erepturum.

Ob torporem autem, qui inteſtinorum, cum caeteris corporis partibus, communis erat, *pulvis Doveri,* utpote cui aliquid opii inſit, minimè, ad exhalationem per cutem movendam, accommodatus viſus eſt. Tempus verò deliberandi deerat; ideoque, factu optimum, experiri, quid poſſet vomitorium medicamentum, arbitratus eſt.

Ex hujus generis remediis, *tartarum emeticum,* quia et plùs, quàm caetera, pollet, et corpus magis concutit, ſelegit. Praecepit itaque, ut hujus duo grana, pauxillo aquae tepidae liquata, aſſumerentur. Haec autem ne minimum quidem effectum ediderunt.

Quum

Quum verò deliberationi tempus minimè pateret, et aeger, ſi auxilium non prodeſſet, brevi extingueretur; hoc idem medicamentum largiùs adhibere ſecum conſtituit. Curavit itaque tria grana aſſumenda proximo die; et grani ſemiſſem, unaquaque ſemihora, dandum, donec aegrum nonnihil afficeret.

Eventus adeo opiniòne proſperior fuit, ut eum, quòd non ad hoc medicamentum priùs confugiſſet, multùm pigeret. Grani enim ſemis quater repetitus, plenas vomitiones, et copioſum, extremi ubique corporis, ſudorem elicuit. Poſtridie ejus diei aeger, pedum digitos nonnihil arbitrio movere, ſimulque brachia meliùs exercere potuit. Cùm autem medicamentum tam multùm jam profeciſſet, neque aeger eſſet vomitionibus magnopere debilitatus, chirurgus eandem ejuſdem doſin, paucos poſt dies, iterandam curavit. Nunc verò res ſe ita meliùs habuerunt; ut prima tria grana, et plenas vomitiones, et ſudorem

quamvis

quamvis non tam, quàm antea, copioſum, concitaverint.

Exinde aeger, vires morbo fractas, et membrorum uſum, paulatim collegit. Modica exercitatio et continuus ſtrigilis uſus, firmam illi, paucis menſibus, valetudinem reſtituerunt. Per multos poſtea annos, a morbis vacuus, vixit, et tandem aquâ intercute mortuus eſt.

XIV.

Medicamenta vomitoria plurimùm, in *febribus*, prodeſſe, inter omnes conceditur, praeſertim ſi quàm citiſſimè adhibeantur. Quo modo, quamve ob cauſam, febricitantibus proficiant, id, quantùm nobis innotuit, nemo adhuc explicavit. Prodeſſe, ob vim, qua certiſſimè pollent, *nervoſum genus* ſtimulandi, et ſanguinis motum incitandi, credere, idcirco non poſſumus; quòd febrientibus et id ſtimulatur nimium, et hic praeter modum incitatur.

Si nobis, cum CULLENO, proximam febris caufam effe fpafticam extremorum vaforum fanguinem vehentium, eorum praefertim cutis, contractionem, convenit; tum, cur vomitio febricitantibus profit, explanare minimè arduum erit. Ob mirandum enim confortium, quod ftomacho, cum extremo corpore, intercedit, quicquid illum ftimulat, id fanguinem, hoc verfus, fluere facit, et, fi aliqua exiftat contractio, hanc refolvit.

Cutem omnium febricitantium, praefertim fub initium morbi, arefcere, unde exhalatio per cutem fupprimatur; at, poft deceffiones, proprium colorem recipere fimulque humefcere; nemo ignorat. Quoniam verò remedia vomitoria, fi tempeftivè adhibeantur, ut extremum corpus humefcat, et haud rarò quidem infudet, efficiunt; quin hoc faciant, motum fanguinis, per omnes partes corporis, incitando, vix dubitari poteft. Ob enim incitatum hunc motum, fanguis impetu adeo adaucto, extremum corpus verfus, propellitur,

ut

ut extrema ibi vaſa, praeter naturam, ut putatur, conſtricta reſolvat.

Praeterea remedia, de quibus hìc diſſeritur, " Aliis," ut ingenioſus dixit GREGORIUS, " neque dubiis modis ſaepe utiliſſima fiunt; " ventriculum, rariſſimè non malè affectum, " gravi et valdè nocivo onere liberant, et ſic " naturalem nauſeam et vomitum ſummovent, " et anxietatem minuunt, et dolorem capitis " levant, et vires alioquin plurimùm exhau- " riendis conſervant, et ſomnum aliquando " conciliant, et aegrum a vehemente et per- " nicioſiſſimo alvi fluxu, qui in iſtiuſmodi " morbis ſaepe accidit, plerumque tuentur."

In remedia verò vomitoria febricitantibus adhibendo, cavendum eſt; *primo*, ne priùs dentur, plenus ſi aeger ſit, quàm ſanguis elicitus fuerit, ne hujus fluidi, caput verſus, impetum augendo, aegro multum detrimenti afferant; *ſecundo*, ne, ſub finem morbi, dentur, quando vires aegri jam magnopere exhauſtae fuerint.

XV.

In *Dyſenteria* quoque, et caeteris *alvi profluviis*, remedia quae hìc agitamus, multùm, inteſtinorum motum quodammodo inçitando, proſunt.

XVI.

Inſanientibus quidem interdum praecipiuntur. His vero data, ancipites effectus edunt. Praeterea intelligendum eſt, inſania urgente, ob quandam corporis conditionem inſanientium propriam, majorem ferè medicaminis vomitorii quantitatem, ad plenam vomitionem ciendam, quàm, aliis in morbis, opus eſſe. Hanc verò conditionem, qualis ſit, omnino latere, vel ſaltem parùm certò cognoſci, confitendum eſt.

Nunc tantùm reſtat, ut pauca de utilitate, quam, qui *ſanguinem profundunt*, ii a vomitione percipiunt, dicamus.

BRIAN ROBINSON, qui medicinam, EBLANAE, nuper prosperrimè fecit, se vomitoria remedia *haemoptysi* laborantibus, cum optato evento, adhibere retulit; et quoque, quomodo agant, exponere conatus est. Putavit enim, aegrotatione, quae vomitionem antegreditur, extrema ubique vasa constringi; et, hanc ob rem, exscreationem sanguinis, ex toto, supprimi.

Vix opus est ut hìc adjiciam, post adhibita medicamenta vomitoria, mite quoddam liquidum, velut anthemidis florum infusum, vel tepidam quidem aquam, bibendum esse. Hoc enim, stomachum distendendo, vomitiones faciliores reddit. Praeterea, post plenos haustus, minus est periculi, ne aeger quid, a vomendi nisibus, detrimenti capiat. Nam, si stomachus cibi non est plenus, mite quodvis liquidum, eum, cibi vice, distendit; atque efficit, ut contenta, cum multo leviore dolore, nisibusque minoribus, ex toto rejiciantur.

Ingrati

Ingrati meipſum animi accuſarem, ſi, in hoc opuſculo, te, THOMA BLAMIRE CARLEOLENSIS, M. D. inornatum ſilerem; qui humani nihil a te alienum putas, atque, non ſolùm paternam quaſi curam ad me medicinae rudimentis inſtituendum, ſed ad juvenile quoque pectus et incautum honeſtis formandum praeceptis, promptè aſſiduèque adhibuiſti. Serò utinam terram relinquas, tibique aegris ſuccurrere quotidie conanti praeſentiſſimus ſemper aſpiret APOLLO. Fortunatiſſimus et felix vivas valeaſque.

FINIS.